

3579<sup>a</sup> Tibure in saxo quodam multae litterae, quarum quaedam hic subiiciuntur DONATVS; in saxo quodam multae litterae optimae COD. PARM.

QVOTIENS VEL HOC IBIDEM  
ORVM COLVMNATIS TRANS  
QVI EXTARE TALE SIMVLACRVM  
VXOR QVAEQV<sup>u</sup>MQVE SVMM ·  
5 SERVATE MIHI IVS MEVM  
ET QVOD VBIQVE QVOQV<sup>u</sup>MQVE  
INDE COMMIVS  
SI IACET ET SAEPTIS  
PER DEOS MIHI QVANDOQVE  
10 IPSVM MIHI AD VOS  
NIHIL OMNINO  
QVIN IMMO

Servavit Cyriacus, ut puto, apud Petrum Donatum cod. Hamilt. f. 68' et in cod. Parmensi f. 75'. Inde pendent cod. Chis. J VI 203 f. 25'; Ferrarinus Reg. f. 128'; Choler f. 68 = Alciatus Feae f. 20'; Sanutus f. 23'.

Versus divisi secundum codices Parmensem et Chisianum in hac re consentientes (Donatus versus continuat). Varias lectiones dedi Donati, codicum Parm. et Chis., item Ferrarini. — 1 QVOTIES Parm. — 2 TRAN (pro TRANS) cod. Chis. — 4 QVAEQVMQVE cod. Parm., QVECVNQVE Donatus, QVAECVNQVE cod. Chis., QVECVMQVE Ferrar. — SVMM Parm., SVM Donatus Chis., SVVM Ferr. — 5 SERVATI Ferr. — 6 ET Parm. Chis., EI Donatus Ferr. — VBIQ Ferr. — QVOQVMQVE Parm., QVOCVNQ· vel QVOCVNQVE ceteri. — 7 VIDE (pro INDE) Chis. — COMMIVS Parm., COMIVS Donatus Chis. Ferr. — 8 SAEPTIS Donat. Parm., SEPTIS Chis. Ferr. — 9 DEO Donatus Ferr. — MII Donatus. — 10 MIHI om. Donat. Ferr. — 11 om. Chis. — 12 IMO Donatus Ferr.

Ut in inscriptione quae praecedit, ita in hoc quoque fragmento verba fiunt ad complures (v. 5 *servate*, 10 *ad vos*), de muliere autem verba fieri potest colligi ex v. 4. Inde fortasse conicere licet, hoc fragmentum pertinuisse ad ipsam eam orationem Hadriani, ex qua superest n. 3579. — 2 pro COLVMNATIS scribendum esse INCOLVMITATIS coniecit Mommsen.

3580 Tibure in S. Benedicti OMNES de utraque parte. Non extare significat MARZI his verbis: *vedevasi nella chiesa già di San Benedetto*. — Ad aquas Alburneas GRVT. de parte posteriore; nimirum verba inscriptionis n. 3534 v. 6 *ad aquas Albulas*, pro quibus etiam schedae Manutij Ursinarum harum gemellae habent *ad aquas Alburneas*, pro loci indicatione habita sunt a Gutenstenio; sine dubio ut apud Manutium, ita etiam in schedis Ursini inscriptio n. 3534 hanc nostram paullo praecedebat.

F A V S T I N A e  
A V G  
I M P T I T I A E L I I  
H A D R I A N I  
5 A N T O N I N I A V G P I I  
P O N T I F I C I s M A X I M i  
T R I B · P O T · I I · C O S · I I P P p. C. 139  
S E N A T V S P O P V L V S Q  
T I B V R S

Prioris partis, complexae vv. 1—4 integros, item v. 5 finem et fortasse principii quoque eiusdem versus hastas superiores, exempla habemus tria, primum id quod ex lapide sumpsisse videtur Brunelleschi f. 72'; secundum id quod commune est Leoncinio ms. f. 4' et Mancinio apud Metellum f. 345 et apud Pighium f. 3' indeque apud Manutium Vat. 5237 f. 424; tertium quod legitur in cod. Ottob. 2970 f. 19 versibus non divisis et apud Marzium II p. 227 (inde Vulpi Lat. 10 p. 677). Alterius partis exempla extant duo, scilicet Brunelleschii l. c. et id a quo pendent Leoncini f. 4 et Mancini apud Metellum f. 345 et Pighium f. 2' et Manutium l. c. f. 422'; neque ex alio fonte schedae Ursini ex quibus edidit Gruter 254, 2.

1 FAVSTINA Brun., FAVS Ottob. (FAVST Marz.), T·AVGVSTVS Leonc. cum suis. — 3 TITI AELII Brun., TITI AELI Ottob. Marz., TITI AELIB Leonc. cum suis. — 4 post HADRIANI addit ET Ottob. (non Marzi). — 5 ANTONINI AVG PII Ottob. Marzi, ANTONINI PI Brunell., .....II [N Manc.] ·AVG·P [P om. Manc. ap. Pigh.] ·II Leonc., coniungentes omnes cum vv. 1—4 et hic desinentes; deinde ut novum fragmentum qui vv. 6—9 dant Brunelleschi et Leoncini, huic praescribunt ille ANTONI, hic ANTONIN (ANTONINVS Manc.). — 6 PONTIFICI MAX Brun., PONTIF·MAXIM Leonc. cum suis. — 7 COS reliquis omissis Brun., COHOR (CONOR Manc. ap. Pigh.) PR Leoncini cum suis. — 8 POPVLVSQVE Leonc., P·Q Brun.